

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Mandani ac pollicendi. Iacobvs Sapidvs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

mea negotia, ut te viserem. Non patiebantur (a) unde negotiorum, quibus involvebar, ut te salutarem. Occupatior fui quam ut potuerim. Tam variis distringebar curis, ut non fuerit liberum adire ad te. Vix ipsi mihi fuit copia mei: sic me totum molesta quodam negotia possidebant. Negotiis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Haecenus non vacavit. Haecenus non contigit otium. Haecenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempestatem. G. Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege ne sapius utaris. Excusatio tua iustior est, quam vellem, siquidem valetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod cessatum est, officio sarcias, si superiorem cessationem crebra visitatione peneses. S. Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium vulgaria. Amicitia nostra firmior est, quam ut sit officius istis vulgaribus alenda. Satis crebro visit, qui constanter amat. G. Male sit istis curis, quae te nobis adimunt. Quid imprecer istis negotiis, quae talem amicum nobis invident? Pessimè sit isti febris, quae nos tam gravi desiderio torset tui. Male pereant ista febris, te quidem incolumi.

(a) Unde negotiorum, ut unde curarum, apud Catullum pro immensis curis & negotiis.

Mandandi ac pollicendi.

IACOBVS. SAPIDVS.

I. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiam rogo, ut hoc negotium tibi sit cura. Hac in re velim,

velim, ut totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quaeso, ut advigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si verè is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam, hac in causa, quanti me facias. S. Desine; ego tibi hoc effectum reddam, & quidem prope diem. Eventum prestare non possum: illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur: quanquam meam esse duco, quæ sit amici. Faciam, ut in me quidvis desideres citius, quam fidem ac diligentiam. Tu fac in utramq; (a) dormias aurem: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto: ad me recipio provinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re prestabo, quicquid est amici sinceri, & ex animo benevolentis. Nolim te lactare vana spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negotiis mandatum amico.

(a) Vide proverb. in utraq; aurem dormire.

Succellus.

S. Res successit opinione melius. Fortuna votis utriusque favit. Si fortuna tibi nupisset, non potuisset esse obsequentior. Res tua, & ventis, & amne secundo processit. Vicit etiam vota nostra fortuna faventis afflatus: opinor te litasse (a) Rhamusia, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetravi, quam fuisset ausus optare. Ventis per omnia secundis hic cursus nobis peractus est. Res
omnis

omnis cecidit ex sententia. Pulchrè nobis cecidit hac alea. Opinor (b) volasse noctuam; adeò feliciter exiit nobis parum sapienter institutum.

(a) Fortunæ cognomentum est à loco: quemadmodum dicimus Paphiam & Cypridem. Lirat autem non quisquis sacrificat, sed cuius sacrum Deo placuit. (b) Vide Proverb. Noctua volavit.

Gratiarum Actio.

J. Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum, quoad vitam maximam. Pro isto tuo in me beneficio pares agere gratias vix possim: referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror: neque enim tu quicquam novi fecisti, & hoc magis debeo. De istoc tuo in me officio amo te, mi Sapide, ut par est, maxime. Quod hac in causa prestiteris amicum minimè (a) aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quod meum negotium tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiam. Istoc officio gratiam iusti apud me maximam. Pergratum est, quod causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officiis, quæ tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquam possum: agere accuratius, inter nos supervacaneum sit: quod unum possum, habebo, dum vixero. Istoc beneficio facior tibi me magnopere devinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam ut unquam solvendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi devinxisti, quam ut possim dissolvere. Obligationem me tibi reddidisti, quam ut nomen meum è tuo (b) diario possim unquam expun-

expun-
nullum
re m
quam a
nibuer
medioc
iue est.

(a)
Diarium
singulos

S. J.
do, qu
debeat
cium,
gratias
Non es
benefic
Equide
dus, si a
queque
esse duc
deor mi
cium bo
curat g
beam.
ne meret
tat. Si
nare sap

expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum mancipium aequè sit in rebus heri sui. Hac in re me tibi deuinctiorem reddidisti, quam ut unquam ex alienum possim resolvere. Plurimis nominibus tibi debeo: sed non alio plus, quam hoc. Pro mediocribus beneficiis agenda sunt gratia: hoc majus est, quam ut conveniat, verbis gratias agere.

(a) Illi enim sua solent curare, non amicorum. (b) Diarium, codicilli sive commentarioli rerum actarum in singulos dies.

Responsio.

S. Aufer mihi ista. Major est nostra necessitudo, quam ut vel tu mihi, vel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retruli. Mihi quidem abundè relatum gratiam arbitror, si gratum est, quod feci sedulo. Non est, cur mihi gratias agas, si, pro tot tuis in me beneficiis non vulgaribus, hoc officulum rependi. Equidem nihil laudis mereor, ingratiſſimus habendus, si defuisse amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea curà præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quam id, quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo majora tibi debeam. Sibi benefacit, qui benefacit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed foenerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sepius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si, quo-

si, quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes, quod voles.

Alia in congressu. *Colloq. Helv.*

ARNOLDVS. CORNELIVS. *p. 386.*

Salve multum, Corneli, jam toto saculo desidera-
te. C. Salve & tu sodalis exoptatissime. A. Jam
desperabamus reditum tuum. Vbi tam diu peregrina-
tus es? C. Apud inferos. A. Non admodum ve-
ri dissimile dicis; adeo nobis redisti squalidus, maci-
lentus, ac pallidus. C. Imò ab Hierosolymis adsum
tibi, non a (a) profundis manibus. A. Quis Deus,
aut quis ventus te illuc adegit? C. Quae res adegit
alios innumeros? A. Stultitia, ni fallor. C. Igitur
hoc convitiu^{non} in me solum competet. A. Quid illic
venabare? C. Vt miser essem. A. Istuc licebat do-
mi. Estne illic, quod tu putes spectatu dignum? C.
Vt ingenuè fatear tibi, propemodum nihil. Osten-
duntur quaedam monumenta vetustatis, quorum
mihi nihil non videbatur commentitium, & exco-
gitatum ad alliciendos simplices & credulos. Imò nec
hoc arbitror illos certò scire, quo loco sita fuerit olim
Hierosolyma. A. Quid igitur vidisti? C. Magnam
ubique Barbariem. A. Nihilo sanctior redis? C. I-
mò multis partibus deterior. A. Nummatio^{er} ergo?
C. Imò nudior (b) Leberide. A. An non pœ-
nitet igitur tam longinquae peregrinationis frustra
suscepta? C. Nec pudet, quia tam multos habeo meo
stultitia sodales: nec pœnitet, quia frustra jam sit pœ-
nitere. A. Nihil ergo fructus refers ex tam difficili
peregrini-